



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. Quænam sit primaria & principalis regula humanorum actuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

artis, sic dirigit artificem, ut quoties operatur sicut ipsa dicitur, opus eius sit rectum: similiter etiam quoties voluntas operatur iuxta dictamen regulæ, operatio eius recta dicitur. Primum ergo inquiri quænam sit regula illa principalis & primaria. Secundò, quænam sit regula instrumentalis & secundaria.

SECTIO I.

Quænam sit Regula humanorum Actuum principalis & primaria.

Necessitas
regulæ.

Certum est primò, aliquam necessariò assignari debere regulam humanorum Actuum, ex qua desumatur tota eorum malitia & bonitas. Ratio est, quia cum humani actus aliquando sint boni, aliquando mali, non potest assignari ratio huius diuersitatis, nisi quia illi aliquando sunt conformes regulæ, aliquando diffformes; entitas enim eorum non est mala, cum illa causetur etiam à Deo, possitque idem Actus fieri ex bono malus, & contra. Deinde bonum & malum Morale non sunt aliquid absolutum sed respectuum, nam id quod est vni bonum, potest esse malum alteri: sed omne bonum respectuum dicitur tale per commensurationem ad aliud, ergo bonum Morale tale dicitur etiam per commensurationem ad aliud quod propriè vocatur regula, ergo necessariò admitti debet aliqua regula omnium Actuum & toti⁹ Moralitatis.

Certum est secundò, duplicem esse regulam horum Actuum. Prima principalis est & primaria quæ specificat actum & causat bonitatem eius ac malitiam. Secunda est instrumentalis & secundaria quæ non causat per se bonitatem aut malitiam actuum, sed tantum illam proponit per modum instrumenti, vel etiam conditionis; munus enim eius est applicare, seu proponere regulam primariam.

Difficultas igitur nunc est, quænam res dici possit regula huiusmodi vniuersalissima & primaria, quam alij existimant esse solam legem æternam, alij rectam rationem, alij naturam rationalem, alij aliquid aliud.

§. I.

Utrum Lex æterna sit primaria Regula totius bonitatis & malitiae.

Quid sit
lex æterna.

Quid sit lex ista æterna plenè dicam sectione sequenti, nunc satis est scire quod eo nomine appellatur actus ille intellectus diuini, quo voluntati creatæ intimatur quid velit Deus fieri ab ea, vel omitti: vel etiam ut sensus sit clarior, nomine *Legis æternæ*, hic intelligitur voluntas diuina, & sensus erit, utrum regula ex qua primariò & radicaliter pendet bonitas nostrorum actuum sit voluntas Dei, cui si conformentur actus nostri, sint boni, si non conformentur sint mali.

Triplex
dubitatio.

Ratio ergo dubitandi est primò, quia in omnibus causis ordinatis effectus magis pendet à causa omnium prima, quàm à causis posterioribus, quæ non agunt nisi in virtute primæ illius causæ, quæ est velut primum mobile; sed causa omnium prima bonitatis est recta ratio & voluntas diuina, recta verò ratio creata causa est secunda quæ non regulat actus, nisi virtute rationis increatæ, ergo actus nostri multò magis regulantur à recta ratione increata, quàm à creata. Quod significatum videtur Psalm. 4. *Multi dicunt quis ostendet nobis bona?* statim enim respondet, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quasi diceret lumen diuini vultus quod in nobis est in tantum ostendere nobis bona, & regulare voluntatem, in quantum est radius ostendens solem illum æternæ rationis & legis.

Secundò, omne id quod habet rationem peccati tale dicitur per respectum ad aliquam legem, cuius est transgressio, dicitur enim in scripturis *avopia*, seu præ-

uaricatio à lege, sed nulla est lex cuius peccatum transgressio esse possit, quàm lex æterna, quod probatur, quia si aliqua alia lex præter æternam regularet humanum actum, illa deberet esse lata per potestatem aliquam superiorem totius creaturæ, illa potestas nulla est extra Deum, ergo lex illa lata est à Deo, atque adeò est æterna lex. Idque videtur significatum esse ab Apostolo ad Rom. 4. *Lex iram operatur, ubi enim non est lex, nec præuaricatio, & c. 5. Usque ad legem enim peccatum non erat in mundo, sed non imputabatur cum lex non esset.* Vnde August. l. 22. contra Faustum c. 27. *Peccatum definit dictum, factum, concupitum contra legem Dei: quid enim aliud est peccatum (inquit Ambrosius lib. de Paradiso c. 4.) nisi legis diuine præuaricatio.*

Tertiò, illa est primaria & radicalis regula totius bonitatis cuius declaratio solum & transcriptio illa est, quæ vocatur proxima regula, sed proxima regula totius bonitatis & malitiæ, nempe recta ratio creata & lex naturalis, nihil est aliud quàm declaratio æternæ legis, quæ per eam nobis innotescit, ergo regula radicalis & primaria est lex æterna.

Dico primò, regula primaria & radicalis totius bonitatis & malitiæ Actuum moralium non est lex æterna & voluntas diuina. Ita communius Theologi quos sequuntur & citant Vasques *disp. 95. & 97.* Suarez *tract. 3. disp. 2. & 3.*

Ratio est primò, quia illa esse non potest prima & vniuersalissima regula omnium Actuum bonorum & malorum, sine qua multi sunt actus boni: sed multi reperiuntur actus verè boni, qui nō sunt conformes legi æternæ, nam Deus à dextra operatur benè moraliter ut est per se notum, & tamen eius actus non habent quod sint boni per conformitatem ad legem, lex enim Præceptum est superioris, quem Deus nullum habere potest; non enim se ipso superior est. Deinde multi etiam actus fiunt à nobis reuerà boni, qui tamen nullà lege præcepti sunt, ergo manifestum est quod lex æterna non est vniuersalissima & primaria illa regula quam hic querimus.

Deinde illa non est regula totius bonitatis Actuum, quæ præcisà vel non intellectà, manet adhuc Actus honestus aut prauus, sed præcisà vel certè non intellectà æternà lege adhuc amor Dei esset bonus, & eius odium esset prauum, ergo lex illa æterna non est regula. Minor probatur, illud est reuerà honestum & rectum, quod est conueniens naturæ rationali, & malum quod est illi disconueniens, sed quamuis nullà Dei lege præceptus esset Dei amor, aut veritum odium, vel certè si non intelligatur veritum, semper amor erit conueniens naturæ rationali, odium autem disconueniens, semper enim bonum esset velle bonum Deo qui est infinite dignus, & malum esset illi velle malum infinite bono; semper etiam malum esset occidere innocentem: ergo præcisò etiam præcepto quolibet Dei, bonum est aliquid & malum. Et hoc etiam patet, quia illi qui nullo modo cognoscunt Deum multa tamen faciunt verè mala propter quæ digni sunt vituperio. eorum respectu perinde lex æterna se habet ac si non esset, ergo illà præcisà manent adhuc Actus boni aut mali.

Denique à priori ratio est, quia illa non potest dici primaria regula bonitatis & malitiæ quæ supponit Actum iam esse bonum aut malum, huiusmodi est lex æterna: quod probò, quædam obiecta sunt essentialiter & intrinsecè bona, & alia mala essentialiter, quæ non idèò sunt mala, quia Deus iudicat illa esse mala, sed idèò Deus illa iudicat esse mala, quia mala sunt, hoc est malitiam præsupponi ante legem æternam, ergo lex æterna præsupponit malitiam & bonitatem actuum. Maior est clara, quia v. g. frigus non idèò est malum aquæ, quia Deus iudicat illud esse malum, sed idèò Deus iudicat quia est malum, non idèò chimæra implicat

Conclusio
negatiua.

Triplex
ratio.

implicat, quia Deus iudicat, sed contra: ergo similiter iudicium Dei de bonitate ac malitia obiectorum, & actuum præsupponit bonitatem aut malitiam illorum. Confirm. quia si à solo Dei iudicio, & voluntate penderet malitia, nullus esset actus qui permitti non posset à Deo; posset enim eodem modo permittere blasphemiam, & odium Dei, sicut permittere potest comestionem carnum in quadragesima, sicque nihil esset intrinsecè bonum aut malum neque vllum esset ius naturale, sed solum ius positium.

Solutio
trium dubitationū.
Ad primam Resp. concedendo quod ratio creata habet à ratione increata quod regulet actus nostros, tanquam à causa effectiua per quam accepit esse, & tanquam à causa etiam exemplari cuius similitudinem habet perfectam, non quod proponat nobis Deum iudicare aliquid bonum & malum, vel illud imperare: sed quia proponit illud idem esse bonum & malum, quod Deus iudicat bonum aut malum esse. Itaque sequitur legem æternam esse primam causam, sed non sequitur illam esse regulam primariam, quia illam non proponit recta ratio creata.

Ad secundam Resp. duo distinguenda esse semper in peccato; primò quod habeat malitiam moralem, secundò, quod sit offensa Dei: ratione malitiae moralis peccatum non dicitur transgressio legis, sed tantum ratione offensa; si enim nihil Deus præcepisset, vel si abstulisset à nobis notitiam voluntatis & præcepti sui, semper odium Dei, v. gr. esset moraliter malum, sed non esset Dei offensa, de qua sola intelligi debent Scriptura & Patres, quoties dicunt quod seculus à lege nullum est peccatum.

Ad tertiam Resp. distinguendo minorem eodem modo, recta ratio creata nihil est aliud quàm declaratio & transcriptio æternæ legis, quatenus est regula operationum moraliter bonarum aut malarum nego, quatenus est regula illarum provt sunt capaces meriti aut demeriti, concedo. Recta enim ratio creata utroque illo modo actiones dirigit, facit enim illas esse bonas, & facit illas esse meritorias, sed sub diuerso respectu.

§. II.

Utrum recta Ratio humana sit primaria Regula bonitatis & malitiae omnium Actuum.

Nomine recte rationis quid intelligatur non est facile dicere, vt constabit ex sequenti sectione: nunc satis est rectam rationem vocari iudicium intellectus dictans hic & nunc aliquid esse faciendum, vel omittendum. Hoc iudicium communius omnes existimant esse vnicam & adæquatam regulam totius bonitatis & malitiae.

Triplex
dubitatio.
Ratio dubitandi est primò, quia sic manifestè tradere videtur Philosophus 6. *Ethicorum* cap. 1. & 2. vbi ostendit solam esse rectam rationem quâ definitur medium proprium virtutis: omnes enim virtutes in illam respicere tanquam in signum & scopum: sicut in artefactis idea operis recti est illud ipsum, quod regula vocatur.

Secundò, illa est adæquata regula humanorum actuum, quâ solâ posita sublati aliis omnibus, illi sunt boni, & quâ sublatâ sunt mali, sed sublatâ consideratione rationis, positis aliis omnibus, aufertur bonitas aut malitia moralis: posita verò eâ, etiam aliis omnibus sublati ponitur, ergo sola recta ratio est adæquata regula omnium humanorum actuum. Maior non eget probatione, minor probatur, quia quantumcunque actus sint intrinsecè boni aut mali, nunquam tamen moraliter tales dici possunt, si absit consideratio recte rationis, alioqui amentes & pueri operantur rectè moraliter, & ij etiam qui operantur cum ignorantia inuincibili. Imò cum aliquis operatur cum conscientia erronea existimans se prosequi obiectum

Tom. I.

malum, quod reuera tamen est bonum, ille reuera peccat, ergo posita solâ recta ratione ponitur malitia & bonitas actuum.

Tertiò illa est vera regula totius moralitatis per quam natura rationalis constituitur formaliter in esse moralis & rationalis, sed natura rationalis non constituitur in tali esse nisi per actualem rationem rectam; si enim eam præscindas, natura humana non est nisi physica, quia nō est capax assequendi suum finem per suos actus, ergo sola recta ratio est regula: probatur maior, per illud regulantur Actus humani, & constituantur morales, per quod sunt boni vel mali naturæ humanæ vt sic, sed per hoc sunt boni naturæ rationali vt sic, per quod natura constituitur rationalis vt sic, ergo illa est regula per quam natura constituitur rationalis & moralis.

Dico secundò, recta ratio creata dictans quid sit malum aut bonum non est principalis & primaria regula bonitatis & malitiae Actuum nostrorum.

Ratio est, quia si recta esset regula primaria bonitatis, sequeretur quod nunquam iudicium rationis cognoscit bonitatem aut malitiam actus, quin cognoscat se ipsum, hoc absurdum est vt patet; iudicium enim illud diceret, hic actus non est mihi conformis, ergo recta ratio non est regula. Prob. maior, cognoscere Actum esse bonum, est cognoscere actum esse conformem regulæ: sed regula est per te cognitio ipsa bonitatis, ergo cognoscere bonitatem, est cognoscere conformitatem cum cognitione, quod est cognitionem reflecti supra se ipsam.

Confirm. primò, quia si recta ratio est regula, debet recta ratio per se ipsam definiri; recta enim ratio erit illa quæ cognoscit conformitatem obiecti cum recta ratione & sic infinitus erit progressus. Petam enim de hac recta ratione, quæ definitur iterum per rectam rationem, & ita in infinitum. Similiter bonitas erit conformitas cum iudicio cognoscente conformitatem cū iudicio cognoscente conformitatem & sic deinceps.

Confirm. secundò, quia si recta ratio esset regula bonitatis, verus deberet admitti circulus inter actum bonum & rectam rationem, nam recta ratio illa est quæ dictat & præcipit actum bonum, actus verò bonus est ille quem præcipit recta ratio, vbi vides actum bonum definiri per rationem rectam, & rectam rationem definiri per actum bonum. Quid enim est aliud recta ratio nisi ea, quæ iudicat actum honestum cum, qui honestus est.

Secundò, illa non est regula primaria bonitatis & malitiae Actuum humanorum quæ posterior est ipsa bonitate ac malitiâ omnium obiectorum, sed recta ratio, id est iudicium actuale rationis, est aliquid posterius bonitate ac malitiâ obiectorum omnium ad quæ terminantur & à quibus specificantur Actus morales, ergo recta ratio non est regula primaria. Prob. minor, si ratio prius esset recta quàm obiectum esset honestum, obiecta idèò essent honesta, quia iudicantur honesta, consequens est falsum, quia potius idèò recta ratio iudicat illa esse honesta quia ex se talia sunt, sicut in aliis iudiciis, veritas eorum fundatur in rebus, quia nimirum illæ tales sunt, quales iudicantur: ergo prius est obiectum esse honestum, quàm rationem esse rectam quæ iudicat illud esse honestum.

Dices prius est actum esse honestum obiectiue ac fundamentaliter non est prius illum esse honestum formaliter, sed contra, illa nō est regula bonitatis quæ præsupponit totum fundamentum & causam propter quam actus est bonus aut malus. Sed recta ratio præsupponit totum fundamentum & causam propter quam actus est bonus aut malus; præsupponit enim totam bonitatem aut malitiam fundamentalem, ergo recta ratio non est regula bonitatis, quod enim præsupponit fundamentum bonitatis, præsupponit regulam

Rr

gulam

Ratio à
priori.

gulam totam bonitatis, nam regula est fundamentum.

Denique à priori ratio est, quia id quod specificat Actum voluntatis, non est cognitio, quæ conditio solum est & signum quoddam à posteriori ex quo cognoscitur specificatio actus facta per obiectum in quod tendit actus. Constat enim quod voluntas fertur semper in bonum apprehensum, sed apprehensio non est ratio formalis ob quam appetitur finis.

Solutio
trium du-
bitationū.

Ad primam Resp. concedendo quod recta ratio est id quo definitur medium virtutis, iuxta mentem Philosophi, quia est id ex quo tanquam à posteriori cognoscitur medium virtutis, non quod ipsa recta ratio tale medium efficiat, sed quia illud non cognoscitur à nobis, neque determinari potest nisi per rectam rationem quam propterea merito virtutes omnes respiciunt tanquam regulam quandam à posteriori, ex qua discernunt illam mediocritatem quam prosequi debent: cum enim voluntas sit potentia cæca non potest tendere in aliud obiectum, nisi ad illud quod per rectam rationem proponitur, neque illud amplecti potest quod naturæ rationali convenit, nisi per rectam rationem illud accipiat. Hinc fit ut recta ratio vocetur regula bonitatis, non quæ actum boni constituat, sed ex qua dignoscatur actus qui est bonus, vel malus, quod idem in operibus artefactis locum habet.

Ad secundam Resp. distinguendo maiorem, illa est regula bonitatis & malitiæ, quæ solâ positâ tanquam causâ ponitur bonitas, concedo: quâ solâ positâ tanquam conditione ponitur bonitas, nego. Posita consideratione rationis ponitur bonitas actus, quia consideratio hæc conditio est quæ positâ semper obiectum est conveniens naturæ rationali, licet illa conditio non sit causa huius convenientiæ. Itaque cum aliquis operatur ex conscientia erronea putans aliquid esse malum, quod tamen est bonum, ille reuera peccat, quia nunquam obiectum aliquod potest esse conveniens naturæ rationali, nisi ratio illud tale iudicet, & quoties iudicatur tale, iam conveniens esse incipit ut postea dicam: unde rectè inferitur quod iudicium rationis est conditio sine qua nulla est bonitas vel malitia, sed non sequitur illam esse regulam.

Ad tertiam Resp. naturam humanam constitui moralem & rationalem in actu primo, per vim ratiocinandi in actu primo, constitui autem in actu secundo talem, per actualem rectam rationem: illa non est regula primaria moralitatis, per quam natura constituitur moralis & rationalis in actu secundo, sed illa per quam constituitur moralis & rationalis in actu primo.

§. III.

Utrum Natura rationalis primaria, sit regula Bonitatis, & malitiæ.

Posito quod neque lex aut voluntas diuina, neque iudicium rectæ rationis creatæ, mensura sit & regula ex qua deriuatur bonitas aut malitia moralis actuum nostrorum, sola superesse videtur natura rationalis, quæ huiusmodi regula dici, & esse possit.

Prima
dubitatio.

Ratio tamen dubitandi esse potest primò, quia si natura rationalis constituitur esse primaria illa regula, neque vitatur circulus vitiosus, neque infinitus progressus, quod probatur: natura rationalis non est aliud quam natura utens ratione, non enim significare potest aliud quam naturam prout cognoscit, vel potest cognoscere bonitatem aut malitiam actuum & obiectorum: sed si natura prout cognoscens, vel prout potens cognoscere bonitatem aut malitiam, actuū sit regula bonitatis & malitiæ, committetur vitiosus circulus in definitione bonitatis, & in definitione naturæ rationalis, ergo natura rationalis non est regula primaria bonitatis & malitiæ: maior est certa, quia si sumatur natura rationalis præscindendo ab eo quod cognoscat bonitatem, & operetur mora-

liter, non est magis illi conueniens Eleemosina quam furtum, neque temperantia magis illam decet, quam brutum, debet ergo natura rationalis significare naturam prout cognoscit, vel prout cognoscere potest bonitatem & malitiam. Nunc minor probatur argumento superius allato, si natura prout cognoscens vel prout potens cognoscere malitiam est regula, necesse est ut natura rationalis definiatur per bonitatem, & ut bonitas definiatur per naturam rationalem: natura enim rationalis erit illa quæ cognoscit bonitatem & bonitas erit illa quæ conuenit naturæ cognoscenti bonitatem: imò bonitas definiatur per se ipsam, erit enim conuenientia cum natura cognoscente bonitatem.

Vnde vrgetur argumentum si natura rationalis prout cognoscens, aut prout potens cognoscere bonitatem est regula, implicat ut cognoscatur ipsa bonitas sine infinitis reflexionibus, quod probo. Non poterit cognosci conformitas Eleemosynæ cum natura rationali, quin cognoscatur Eleemosina ut cognita secundum suam bonitatem: rursus, hæc bonitas debebit cognosci ut cognita secundum suam bonitatem, & ita in infinitum, quia hæc bonitas est conuenientia cum natura cognoscente bonitatem, omnis ergo bonitas semper includit cognitionem bonitatis, sicque nunquam cognoscetur bonitas, quin ulterius & ulterius semper progrediatur in infinitum.

Secundò, illud est actualis regula voluntatis, quod dirigit actu voluntatem, natura rationalis non est id quod dirigit actu voluntatem, sed ratio, ergo natura rationalis non est actualis regula. Probo maiorem, eodem modo se habet id quod dirigit hominem bene aut male operantem moraliter, sicut se habet ars & idea quæ artificem operantem dirigit, sed id quod dirigit artificem est conceptus formalis, quem ostendebam in physica esse proximam ideam, ergo id quod dirigit voluntatem operantem moraliter, est conceptus mentis seu recta ratio. Confirm. quia esse conueniens naturæ rationali ut sic est esse conueniens rectæ rationi, ergo natura rationalis non potest esse regula quin recta etiam ratio sit regula, natura enim rationalis non est aliud quam natura prout recta ratione uti potest.

Tertiò illa dici non potest regula immediata moralitatis, quæ manente omnino inuariatâ, tollitur vel variatur moralitas, sed inuariatâ manente naturâ rationali, tollitur tamen aut variatur moralitas, nam cum aliquis conscientiam habet inuincibiliter erroneam, æquè tenetur operari aut cessare ab operatione ac si non erraret, tunc natura rationalis eodem modo se habet ac si conscientia non esset erronea, ergo eadem manente natura rationali, variatur tamen aut tollitur moralitas.

Quartò, sequeretur quod bonum honestum non amaretur amore amicitiae, sed tantum amore concupiscentiæ: nam quod amatur ut conueniens propriæ naturæ, amatur amore concupiscentiæ: honestum ut sic, est conueniens naturæ rationali, ergo quoties amatur honestum ut sic, amatur ut conueniens propriæ naturæ.

Dicò tertiò, sola natura rationalis ut rationalis, est regula primaria formalis & immediata totius bonitatis & malitiæ actuum nostrorum.

Ratio est, quia illa sola esse potest regula quæ sola præsupponitur tanquam aliquid prius ante omnem bonitatem & malitiam actuum & obiectorum, sola natura rationalis est huiusmodi, lex enim æterna, & recta ratio (ut dixi) sunt aliquid posterius, neque potest excogitari aliquid aliud, ergo sola natura rationalis est regula.

Respondent recentiores aliqui primò, Regulam moralitatis esse præpoderantiâ vnius obiecti præ alio, id est

Secunda
dubitatio.Tertia
dubitatio.Quarta
dubitatio.Conclusio
affirmativa.

Probatio.

Præponde-
rantia.

id est æstimabilitatē moralem vnius præ alio, v.g. ideò Eleemofina est honesta, quia bonum subueniendi pauperibus, præponderat malo amissionis pecuniæ, furtum autem ideò est malum, quia damnum læsionis iniustæ præponderat bono pecuniæ quæ acquiritur.

Verum statim apparet hunc esse merum lusum verborum, quæro enim quid sit vnum bonum aut malum præponderare alteri, nisi magis esse conueniens naturæ rationali quàm aliud: verbi gratia quare præponderat bonum subueniendi pauperibus malo amissionis pecuniæ, nisi quia conueniens est dare pecuniam vt subuenias pauperi? Quæritur enim hic regula huius præponderantiæ, ac æstimabilitatis moralis, quam asserui esse solam naturam rationalem. Præterea sequeretur matrimonium esse malum, quia illi sine dubio Virginitas præponderat: liceret etiam mentiri ad conseruandam integram Rempublicam: cur enim bonum integræ Reipublicæ non præualet leui huic malo? reijci ergo debet hæc præponderantia.

Finis vltimus.

Respondent alij secundò, vltimum finem esse adæquatam regulam bonitatis, quia illud est verè bonum, quod habet proportionem cum fine vltimo; vnde dictum est à Philosopho quod *finis est principium ad quod respicientes, bonum vnumquodque aut malum dicimus*. Sed contra, nam ille finis qui dicitur regula, vel est finis supernaturalis, vel naturalis, non primum, quia in pura natura esse potuisset bona vel mala operatio: Neque secundum quia ille vel est rectitudo moralis, & sic quæritur quid sit in obiecto, quod tribuit mihi rectitudinem dum illud amplector; vel est præmium, & sic quæro vnde actus charitatis habeat, quo sit dignus præmio, prius enim est illum actum esse bonum, quàm esse præmio dignum.

Deinde illa sola est regula moralitatis formalis, quæ sola est regula moralitatis obiectiue, sola natura rationalis est regula moralitatis obiectiue, ergo illa sola est etiam regula moralitatis formalis: Maior est clara, quia bonitas obiectiua vocatur fundamentalis ex eo quod fundet, & specificet moralitatem formalem. Minor probatur, quia illud est regula bonitatis obiectiue, cui soli obiectum debet esse conueniens vt sit bonum, sed sola est natura rationalis cui obiecta debent esse conuenientia, vt sint bona, bonum enim respectuum dicitur illud quod est alicui subiecto conueniens, v.g. calor dicitur esse conueniens igni, tanquam subiecto, sola verò natura rationalis potest esse subiectum boni moralis, ergo bonum morale non dicitur tale, nisi per ordinem ad naturam rationalem.

A priori ergo ratio est, quia bonum & malum petitur ab eo quod conueniens est naturæ, non ab eo quod iudicatur conueniens, vt si aqua posset cognoscere frigus sibi esse conueniens, non propterea esset conueniens quia cognosceret, sed potius ideò cognosceret, quia esset.

Solutio primæ dubitationis

Ad primam Resp. nullo modo sequi ex eo quod natura rationalis sit regula, quod natura rationalis & bonitas non possint cognosci & definiri sine circulo, & sine infinitis reflexionibus, quia natura rationalis prout est regula bonitatis Eleemofinæ, v.g. non significat naturam prout cognoscit, aut potest cognoscere bonitatem Eleemofinæ, alioqui vt rectè probat argumentum nunquam definiretur bonitas Eleemofinæ sine circulo & sine infinitis reflexionibus, bonitas enim Eleemofinæ, esset conformitas cum natura cognoscente bonitatem Eleemofinæ, id est conformitatem cū natura cognoscente conformitatem, &c. Semper enim obiectum huius cognitionis erit Eleemofina, vt cognita secundum suam bonitatem, quæ bonitas iterum debebit cognosci vt cognita & sic deinceps: natura ergo rationalis prout est regula moralitatis significat naturam prout vtentem discursu, & libertate, præscindendo ab eo, quod hic discursus versetur circa

Tom. I.

bonitatem, aut circa determinatum aliquid aliud. Naturam enim vtentem discursu & libertate magis Eleemofina decet quàm furtum, & temperantia magis illi conuenit, quàm bruto, nam homo propter furtum dignus est probro, & propter intemperantiam, ob quam brutum non est dignum probro.

Instabis primò, multa esse disconuenientia naturæ rationali, & recte rationi, quæ tamen non sunt peccata, v.g. si velit aliquis domum ædificare sine fundamentis, plantare arborem inuersis radicibus, hoc enim est contra rectam rationem, & dedecet naturam vtentem discursu, & tamen non est peccatum. Neque dicas illud non ita esse contra rationem, vt sit pœna dignum, peccatum autem ita esse contra rationem vt sit pœna dignum. Contra enim arguo, prius est actum esse bonum aut malum, quàm sit dignus præmio & pœnâ, ideò enim actus dignus est præmio, quia est bonus, & ideò dignus est pœnâ, quia est malus, non autem contra, debet ergo dari ratio, cur furari sit malum, & dignum pœnâ, plantare autem arborem inuersam, non sit malum & pœnâ dignum, cum vtrumque sit contra rationem & naturam rationalem.

Prima instantia.

Respondeo defectus artis cuiusmodi sunt plantare arborem inuersam, & defectus morales in eo differre, quod defectus artis sint aliquid disconueniens naturæ intellectuæ ac discursiue vt sic, ideòque dicuntur solum errores, neque sunt aliquid pœnâ dignum: At verò defectus morales, sunt aliquid per se disconueniens naturæ rationali vtenti discursu, & libertate; omnis enim moralitas fundatur in libertate, vnde merentur pœnam defectus morales, quia illi sunt aliquid disconueniens naturæ, prout discursiue simul & libera.

Instabis secundò, gloriam humanam & diuitias esse bonas homini prout differt à bruto, & tamen illa non sunt bona honesta vt patet, quia operari præcisè propter gloriam humanam & propter diuitias non est honestum, ergo natura rationalis præcisè vt differt à brutis non est regula bonitatis.

Secunda instantia.

Resp. diuitias non esse aliquid per se contentaneum naturæ rationali, quia diuitiæ nullam per se habent appetibilitatem: gloriam verò humanam esse obiectum de se bonum, & decens naturam rationalem, quod tamen ex circumstantia potest fieri malum, & dedecens naturam rationalem, ideòque non est mirum quod egregia Ethnicorum opera reprobata fuerint à sanctis Patribus, quia procedebant ex nimio appetitu laudis & gloriæ, erat enim appetitus ille vituperabilis non præcisè quia erat appetitus laudis, sed quia erat nimius.

Ad secundam Resp. diligenter in hac materia distinguere debere duo, id quod est regula, & id quod applicat regulam, regula est id cui per se primariò actus conformari debet, id quod applicat regulam, est id quod illam proponit, & cuius conformitas non per se intenditur, sed propter aliud. Regula bonitatis est solum natura rationalis, quia illa est cui primariò actus debet conformari, recta autem ratio est id duntaxat quod proponit regulam tanquam conditio, quia conformitas actus cum ipsa non exigitur primò & per se, sed propter naturam rationalem. Hinc ad argumentum distinguitur maior, actualis regula bonitatis est id quod actu voluntatem primò & per se dirigit, concedo, quod actu dirigit voluntatem tanquam proponens regulam, nego: similiter enim id quod primò & per se dirigit artificem, est conceptus obiectiui vel potius prototypum ad cuius similitudinem fit aliquid: conceptus autem formalis proximè dirigit tanquam proponens veram & primariam regulam. Ad confirmat. concedo quod esse conueniens naturæ rationali, & esse conueniens rationi, sunt idem realiter, sed non sunt idem formaliter, prius enim est aliquid esse conueniens

Solutio secundæ dubitationis.

R r 2

conueniens naturæ rationali, quàm conueniens esse rationi, cum ideo res sit conueniens rationi, quia est conueniens naturæ rationali, non contra: quamuis ex eo quod aliquid sit conforme rationi, rectè inferatur esse conueniens rationali naturæ, ideo enim ratio est recta quia dicat conuenire naturæ rationali, id quod illi reuera conuenit.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. quod quoties aliquis operatur ex conscientia erronea inuincibili, natura quidem rationalis eodem modo se habet, sed obiectum & actus alio modo ad illam comparantur, ut nuper dicebam, nihil enim est bonum aut malum, nisi quod tale iudicatur unde tamen non sequitur, quod iudicium rationis sit regula boni & mali, sed conditio duntaxat, sine qua nullum est bonum aut malum. Ad argumentum igitur nego primam hanc maiorem, illa non est regula moralitatis quæ inuariatà manente variatur aut tollitur moralitas. Nam ut maneat eadem moralitas, non sufficit quod eadem maneat regula, sed requiritur ut maneat idem obiectum huius regulæ, variabitur enim moralitas, si varietur vel obiectum regulæ, vel ipsa regula: Cum quis operatur ex conscientia erronea inuincibili, manet eadem natura rationalis, sed variatur ipsum obiectum quia id quod antea erat ipsi malum, iam incipit esse illi bonum, si apprehendatur esse bonum, bonum enim naturæ rationalis est illud omne quod prudenter iudicatur tale.

Solutio
quartæ.

Ad quartam Resp. Conueniens dupliciter posse sumi, primò enim significat id quod est alicui commodum. Secundò, id quod per se decet, & est consentaneum inclinationi naturali, sicut dicitur incarnatio esse conueniens Deo, non quia sit ipsi commoda, sed quia est consentanea inclinationi summæ bonitatis. Unde ad argumentum distinguitur hæc maior, id quod amatur tanquam conueniens, id est ex eo quod sit commodum, & afferat aliquam utilitatem aut delectationem, amatur amore concupiscentiæ, concedo: Id quod amatur tanquam conueniens, id est consentaneum inclinationi abstrahendo ab utilitate, vel delectatione, amatur amore concupiscentiæ, nego. Quod amatur ut honestum, amatur tanquam conueniens posteriori hoc modo, non autem tanquam conueniens primo modo.

SECTIO II.

Quenam sit regula instrumentalis & secundaria bonitatis & malitiæ moralis.

Necessitas
regulæ
proximæ.

PRæter primariam illam & principalem regulam totius moralitatis, sæpe dixi necessarium esse aliquod instrumentum per quod illa voluntati proponatur, alioqui esset necesse ut in incognitum ferretur voluntas, ideoque regula illa ministerialis non potest esse aliud quàm iudicium rationis, quam communiter dicimus conscientiam: de illa ut dicam distinctè, videnda sunt tria, primò quid sit recta ratio increata, & lex æterna. Secundò, quid sit recta ratio creata, & lex naturalis quæ cum conscientia magnam habent affinitatem. Tertiò, demùm quid sit propriè conscientia & quortplex.

S. I.

Quid sit recta ratio increata, & lex æterna.

NON hæc agitur de recta ratione speculatiua, quæ non aliud est, quàm cognitio diuina conformis obiecto cognito, & nullo modo tendens ad opus, sed de recta ratione practica quæ dirigit voluntatem diuinam, & voluntatem creatam operantem moraliter, habetque aliquando rationem legis, quia dirigit imperando, aliquando non est vera lex, quia non dirigit voluntatem nisi dictando, quid sit conueniens.

Difficultas igitur est circa existentiam, quid dicat, proprietates æternæ legis, utrum scilicet detur in intellectu aut voluntate Dei actus aliquis, qui sit lex æterna, qualis ille sit, & respectu cuius dicatur lex.

Ratio autem dubitandi est primò, quia tunc recta ratio diuina rationem legis non habet quando nemini quidquam iubet aut vetat, sed ab æterno nemini quidquam præcepit, cum nemo esset cui posset præcipere. Deinde nihil habet rationem legis nisi promulgetur, sed ab æterno promulgari nulla lex potuit, ergo non fuit ab æterno nisi recta ratio diuina, quæ in tempore cepit esse lex, postquam fuerunt creature quas obligare, sicut ab æterno fuit omnipotentia quamuis illa solum in tempore fuerit creans.

Secundò, lex illa æterna si datur vel est actus liber voluntatis diuinæ, vel certè illum supponit, & est aliquid Deo liberum: hoc autem absurdum est, quia sic lex naturalis potuisset non esse, & Deus posset in ea dispensare, potuissetque fieri ut mendacium esset licitum, imò Ethnicus qui nescit Scripturas dubitare posset, utrum ea lex esset à Deo lata, & sic licitè posset mentiri.

Tertiò, lex illa æterna non potest esse actus voluntatis diuinæ, quia definitur recta ratio, neque dici potest actus intellectus diuini, vel enim esset actus scientiæ simplicis, vel scientiæ visionis, non primò, quia scientia simplex præcedit decretum voluntatis, & ita non est lex quæ supponit semper voluntatem superioris: neque secundum, quia sic esset scientia merè speculatiua, nec dirigeret voluntatem. Deinde idèd tenemur facere aliquid quia Deus vult nos facere, ergo actus voluntatis diuinæ lex est non actus intellectus; non enim teneor aliquid facere quia Deus cognoscit, sed quia Deus vult, unde ait Anselmus *Magistram humanæ voluntatis esse voluntatem diuinam*. Idèd solemne illud est in iure, *quod Principi placuit, legis vigorem habet*. Denique lex ordinatio est, illa non est actus intellectus cum sit actus Iurisdictionis, ergo lex non est actus intellectus.

Dico primò, recta ratio diuina non est aliud quàm actus intellectus diuini, quo per scientiam simplicem ante omne voluntatis decretum cognoscit fines omnes, & media quæ possunt conuenire, vel disconuenire, omni naturæ rationali.

Ratio est, quia omnes actus voluntatis diuinæ dirigitur per iudicium aliquod intellectus diuini quod est recta ratio, illud iudicium necessariò antecedit omnes actus voluntatis, ergo recta ratio est actus antecedens omnem actum voluntatis: primus enim actus voluntatis diuinæ rectissimus est, ergo illum dirigit actus aliquis intellectus quem nullus actus voluntatis præcedit. Deinde recta ratio diuina proptèr dirigit voluntatem diuinam non habet rationem legis, quia Deus non est superior se ipso, ergo non necessariò sequitur decretum voluntatis.

Dices recta ratio practica est dictamen practicum, quo Deus cognoscit aliquid sibi esse faciendum, vel omittendum, sed iudicium præcedens decretum voluntatis non dicit aliquid esse faciendum, sed tantum esse factibile, ergo iudicium illud antecedens decretum non est recta ratio practica.

Respondeo duplicem esse posse sensum horum verborum (hoc est mihi faciendum) vel enim significat, ego decreui hoc facere, quia decet, vel decet hoc à me fieri, si primo sumatur modo, certum est quod supponit voluntatis decretum: si autem secundo sumatur modo recta ratio prior est omni decreto voluntatis diuinæ.

Dico secundò, datur lex aliqua æterna, vera & propria existens in ipso Deo quæ nec est formaliter actus voluntatis diuinæ, neque actus ille intellectus

Triplet
dubitatio.

Recta ratio
diuina
quid sit.

Conclusio
trimestris.